EMPLASTRA.

Emplastrum eſt medicamentum adeo glutinosum, ut linteo vel alii vehiculo illitum cuti adhæreat.

Materies emplaſtri sunt *basis* & *ingredientia*.

Basis emplastrorum eſt:

1. *cera*, vel
2. *cera* cum *terebinthina* liquata,
3. vel *calx plumbi* cum *oleo* cocta.

Vis adhæsiva a terebinthina
pice vel *resina est*.

Ductilitas eſt ab *oleo*,
butyro vel *axungia*.

Ingredientia sunt omnia corpora, quæ cum basi emplastica misceri se ſinunt.

Proprietates bene facti emplastri sunt;

1. *Consistentia* in frigore sicca, digitos non inquinans.
2. *Ductilitas* sequax & *mollities* in leni calore.
3. *Tenacitas* adhæsiva ut linteo & parti facile adhærescat.
4. *Mixtio homogenea* ingredientium.

Ordo miscelæ sequens eſto.

1. *Pinguia* cum tenacibus primum ſundantur.

2. *Olea* & cætera *liquida* admisceantur, sed calefacta.
3. *Gummi resinæ* in terebinthina, aut aceto forti solutæ, addantur.
4. Peracta evaporatione humidi & patina ab igne remota, *pulveres sicci* sub perpetua agitatione admisceantur.
5. Emplastro fere frigefacto tandem *volatilia*, ut camphora, crocus, olea, essentialia &c. addantur.

Quantitas ingredientium ab emplastri requisita spissitate pendet, ita fere determinatur, ut fit pro emplastro

molli	Olei ℥j.	Ceræ ℥j.	Pulveris ℥ß.
medio	— ℥j.	— ℥iß.	— ℥vj.
duro	— ℥j.	— ℥ij.	— ℥j.

Vehiculum cui emplastra illiniuntur sunt linteum, tela sericea, vel aluta.

Magnitudo & *Figura* emplastri a loco, cui imponi debet, determinatur.

Illinitio seu *Extensio* emplastri ad vehiculum postulat;

1. Ut emplastrum vel antea malaxetur leni calore vel iterum colliquetur.
2. Ut *spatula* vel *penicillo* æqualiter vehiculo illiniatur.
3. Ut *vehiculum* bene extensum & supra tabulam firmatum sit.

Usus *emplastrorum est multiplex.*

1. Ad *vulnera unienda* emplaſtra tenacia adhibentur.
2. Ad *vulnera* & *ulcera tegenda*, ut ab aere defendantur, & ut plumaceola, balsama, vel alia medicamenta in illis retineantur; & hoc totum eſt, quod emplaſtra sic dicta vulneraria præſtare valent.
3. Ad *tumores inflammatorios emolliendos* & ad *suppurationem* in illis promovendam; in quo casu crasse illiniantur & cataplasmate emolliente tegantur.
4. Ad *resolvendos tumores frigidos*. Sed nullum scio emplaſtrum, quod inflammationem resolveret. Hi tumores emplaſtra non ferunt, augetur inflammatio & in suppurationem, vel ut erysipelas, in gangrænam ideo abire subinde visa fuit.
5. Plurimorum hominum cutis, etiam sana, ab emplaſtris pruritu, puſtulis, erysipelate afficitur. Hinc in tumoribus inflammatoriis nocent emplaſtra.

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

R. Olei olivarum ℔ij.
Cerussæ ℔iv.

Leni igne sub continua agitatione & jugi pauxilli aquæ inſtillatione coctis, addantur.

Ceræ albæ ℥vj.

Colliquescant ut fiat emplaſtrum.

Usus. *Ambustioni, ulceribus et erosionibus cutaneis medetur.*

EMPLASTRUM DE AMMONIACO.

R. Ceræ citrinæ.
Resinæ pini.
Terebinthinæ āā ℥iv.

Colliquatis & colatis addantur.

Gummi ammoniaci depurati ℥viij.

Fiat emplaſtrum.

Usus. *Emplastrum resolvens et leniter irritans est, unde tumoribus cisticis, induratis, et articularibus quibusdam medetur.*

EMPLASTRUM ANGLICANUM.

R. Ichtyocollæ ℔j.
Storacis ℥vj.
Spiritus vini q. s.

Liquentur super lenissimo igne in gelatinam tremulam, hæc telæ sericeæ nigræ tenui, sed solidæ, mediante machina lignea extensæ, ope mollis & lati penicilli in loco frigido calide illiniatur.

Usus. *Ad unienda vulnera et tegendas excoriationes cutaneas est insignis usus. Sexui amabili inservit pro emplastris cosmeticis.* V. das Stralsundische Magazin, I. Theil.

EMPLASTRUM DE CICUTA.

R. Ceræ flavæ ℔j.
Olei hyosciami ℥iv.
Colliquatis, colatis ac paulo refrigeratis addantur.
Succi cicutæ inspissati ℥vj.
Gummi ammoniaci in decocto cicutæ soluti, iterumque inspissati ℥viij
Ad lenem ignem demum admisceantur.
Pulveris cicutæ ℥viij.
M. f. Emplastrum.

Usus. *Ad solvendos tumores induratos, scirrhos, scrophulas, et carcinomata specifice laudatur.*

EMPLASTRUM CITRINUM.

R. Resinæ ℔j.
Ceræ citrinæ ℥viij.
Sevi cervini ℥iv.
Terebinthinæ ℥ij.
Colliquatis & colatis addantur.
Pulveris curcumæ ℥ß.
M. f. Empl.

Usus. *Ad vulnera et ulcera digerenda commendatur. Suppurationem ulceris, vesicatorio facti auget et promovet.*

EMPLASTRUM AD CLAVOS PEDUM.

R. Ceræ flavæ
Gummi ammoniaci ãã ℥j.
Viridis æris ℥vj.
Colliquatis cera et gummi adde viride æris.

Usus. *Clavos pedis bene emollit et separat, si per aliquot septimanas forma trochisci applicetur. In 2000 casibus clavos curasse fertur.*

EMPLASTRUM AD VERRUCAS.

R. Emplastri dyachyli ℥iij.
Viridis æris ℥ß.
Salis ammoniaci ℥iij.
Mercurii præcipitati rubri ℥ij.
Olei euphorbii q. s.
Misceantur in Emplastrum.

Usus. *Ad tollendas verrucas ab Authoribus quibusdam commendatur. Loco hujus emplastri, quod acre admodum et in verrucis faciei periculosum medicamentum est, possunt verrucæ per 15 dies quotidie bis sapone nigro madefacto fricari, quo remedio verrucæ sæpe evanescunt.*

EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM.

R. Lithargyrii ℔iij.
Olei olivarum ℔iv.
Ad spissitudinem emplastri fere coctis, addantur.
Ceræ flavæ ℥iv.
Colliquatis demum admisceantur
Terebinthinæ venetæ
Olibani triti ãã ℥iv.
Colcotharis vitrioli ℥vj.
M. F. Emplastrum.

Usus. *Est emplastrum roborans ac discutiens, unde ad ulcera tegenda et ab aere arcenda adhibetur. Loco emplastri ad fracturas et hernias commendatur. Sed raro fracturæ aut herniæ emplastra exigunt.*

EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX.

R. Lithargyrii subtilissime triti ℔ij.
Olei olivarum clari ℔iij.
Debita cum cautela coctis addantur.
Mucilaginis seminis fænugræci
— — lini
— radicis althææ aa. ℔j.
Continuata leni coctione fiat emplastrum.

Usus. *Est emplastrum emolliens, unde ad emolliendos tumores, qui in suppurationem abeunt, usitatissimum est.*

EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM.

R. Emplastri diachyli simplicis ℔ij.
Ceræ flavæ ℥iv.
Colliquatis addantur debito ordine
Terebinthinæ venetæ ℥ij.
Pulveris gummi ammoniaci
— galbani
— opopanacis
— sagapeni aa. ℥j.
Croci triti, in spiritu vini macerati & diluti ℥ij.
M. f. Emplastrum.

Usus. *Est emplastrum emolliens et simul maturans, unde ad promovendam suppurationem adhiberi solet. Irritat vero vehementer, indeque efficit atroces dolores et inflammationem. Sæpe exserit contrarium effectum et discutit ibi, ubi maturare deberet.*

EMPLASTRUM DIAPALMAE.

R. Olei palmæ ℔ß.
— olivarum veteris ℔vß.
Foliorum quercus tenellorum ℥iß.
Coctis & colatis addantur
Lithargyrii tenuissime triti ℔iij,
Ab igne remotis admisceantur
Vitrioli albi ℥iv.
M. f. Emplastrum.

Usus. *Emplastrum est roborans et adstringens, hinc ad hernias, fracturas et articulationum relaxationes adhiberi potest, nec non ad ulcera et vulnera cicatrisanda.*

EMPLASTRUM DIASULPHURIS.

R. Balsami sulphuris simplicis
Ceræ flavæ aa. ℥iij.
Colliquatis admisceantur
Myrrhæ pulverisatæ ℥xviij.
M. f. Emplastrum.

Usus. *Ad ulcera scrophulosa et antiqua sananda præprimis laudatur.*

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.

R. Ceræ flavæ ℔j.
Colophonii

Terebinthinæ claræ
Gummi bdellii aa. ℥iv.
— ammoniaci ℥ij.
— galbani
— sandaracæ aa. ℥j.
Succini citrini ℥iij.
Thuris electi.
Mastichis aa. ℥ß.

Cera cum colophonio liquetur, & coletur, his semirefrigeratis adde Terebinthinam cum galbano & gummi ammoniaco liquatam, ultimo pulverisata l. a. misce, et sic fiat emplastrum.

Usus. *Emplastrum est rubefaciens, ad dolores rheumaticos sedandos, et tumores rheumaticos articulorum resolvendos, perutile.*

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM.

℞. Emplastri de meliloto
— Diachyli simplicis aa. ℥iij.
Ceræ citrinæ
Terebinthinæ
Galbani in aceto soluti ac iterum inspissati aa ℥ij.
Croci orientalis ℥vj.

Debito ordine colliquentur, commisceantur, ut fiat Emplastrum.

Usus. *Mammas a lacte coagulato induratas subinde resolvit, vel in suppurationem deducit.*

EMPLASTRUM DE HYOSCIAMO.

R. Olei seminis hyosciami expressi ℔ß.
Succi herbæ hyosciami ℔j.
Ad consumptionem humidi coctis addantur
Ceræ flavæ ℥xiv.
Terebinthinæ ℥ij.
Liquatis & paulò refrigeratis admisceantur demum
Herbæ hyosciami in pulverem redactæ ℥ij.
M. fiat Emplastrum.

Usus. *Resolvit tumores induratos, mitigat dolores hæmorrhoidum, pernionum, clavorum, in pede, et sanat sæpe rheumatismum.*

EMPLASTSUM ISCHIADICUM.

R. Picis burgundicæ ℥iv.
Euphorbii triti ℥iß.
Terebinthinæ venetæ ℥vj.
Colliquando misceantur in Emplastrum.

Usus. *Est emplastrum rubefaciens et subinde epispasticum; quod sæpe rheumatismum, lumbaginem et malum ischiadicum curat.*

EMPLASTRUM DE LAPIDE CALAMINARI.

R. Olei olivarum ℔iß.
Lapidis calaminaris ℔j.
Lithargyrii ℔ß.

Debitis cum cautelis simul coquantur.

Usus. *Est emplastrum roborans, exsiccans et consolidans, unde ad ulcera et vulnera cicatrisanda commendatur.*

EMPLASTRUM DE MELILOTO.

R. Sebi cervini ℥v.
Olei chamomillæ cocti ℔j.
Resinæ albæ ℔vj.
Ceræ flavæ ℔iij.
Gummi ammoniaci
Bdelii aa. ℥iv.
Pulveris herbæ & florum meliloti ℔ij.
absynthii ℔j.

Coquantur & commisceantur debito ordine.

Usus. *Est emplastrum resolvens quidem, sed ob resinam simul irritans.*

EMPLASTRUM MERCURIALE.

R. Emplastri diachyli simplicis ℔j.
Hydrargiri terebinthina exstincti ℥iß.

Misceantur.

Usus. *Ad ulcera venerea curanda, et tumores atque tophos venereos resolvendos adhibetur. Longus ejus usus subinde salivam movet.*

EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

R. Colophonii.
Ceræ flavæ aa. ℔j.
Galbani ℔ß.
Picis liquidæ ℥iij.
Croci triti ℥ij.

Debito ordine colliquentur ac commisceantur.

Usus. *Ad fracturas, luxationes et fissuras ossium curandas commendatur, sed raro hi morbi emplastra exigunt.*

EMPLASTRUM CONSOLIDANS.

R. Lapidis calaminaris,
Lithargyrii
Cerussæ aa. ℔ß.
— mastichis ℥j.
Olei olivarum q. s. m. f. emplastrum.

Usus. *Ad consolidanda vulnera et ulcera perutile est emplastrum.*

EMPLASTRUM SATURNINUM.

R. Cerussæ ℥iv.
Cretæ albæ ℥ß.
Myrrhæ ℥ij.
Amalgamatis ex mercurii vivi part. ij.
& saturni part. j. ℥vj.

Contritis simul in pulverem tenuem addatur in mortario calido

Axungiæ porcinæ q. s.

Ut fiat pulvis tenuissimus.

Usus. *Consolidat ulcera antiqua, exesa et callosa. Trochisci eo parati opes criarum emplastri adhæsivi ulceri firmiter teneantur, et duplex linteum et fascia bene attracta imponatur. Die secundo vel tertio vel etiam, si malum urget, serius deligatio renovatur.*

EMPLASTRUM AD LUPIAM.

R. Gallarum turcicarum
Gummi galbani aceto soluti
Viridis æris
Farinæ frumenti aa. ℥j.
Resinæ ℥v.
Terebinthinæ claræ ℥ij.

M. f. Emplastrum.

Usus. *Crasse illiniatur linteo, omni octiduo renovetur, sic aliquot lupias in genu curavi.*

EMPLASTRUM AD RUPTURAS.

Vide *Emplastrum Diapalmæ.*

EMPLASTRUM DE MINIO.

R. Minii ℔ij.
Olei rosacei ℥xx.
Ceræ citrinæ ℥iv.
Terebinthinæ claræ ℥ij.
M. F. Emplastrum.

Usus. *Ad vulnera unienda, tegenda atque aerem arcendum unice inservit.*

EMPLASTRUM SAPONATUM.

R. Olei olivarum ℔iij.
Minii ℔iß.
Succi raparum ℔j.
Coquantur ad justam consistentiam dein adde.
Saponis veneti ℔ß.
Camphoræ ℥iß.
F. Emplastrum.

Usus. *Ad solvendos tumores induratos, et ad ulcera vel vulnera tegenda adhiberi solet. Supplet* Emplastrum, *quod titulo* miraculosi *superbit, etiam* emplastrum noricum *supplet.*

EMPLASTRUM DE SPERMATE CETI.

R. Ceræ albæ ℥iv.
Spermatis ceti ℥ij.
Galbani depurati.
Terebinthinæ ãã ℥j.
Colliquando misceantur.

Usus. *Est emplastrum emolliens et simul resolvens, hinc ad indurationes mammarum commendatur.*

EMPLASTRUM CAMPHORATUM.

R. Emplastri de spermate ceti ℔ß.
Camphoræ ʒj.
M. F. l. a. Emplastrum.

Usus. *Ad fistularum et ulcerum margines callosos emolliendos et separandos, atque ulcera gangrænosa tegenda, est efficax emplastrum.*

(EMPLASTRUM AD MAMMAS.

R. Emplastri de Meliloto ʒij.
Camphoræ ℈ij.

Contrita camphora guttis nonnullis spiritus vini in pulverem misceatur cum emplastro in pastam.

Usus. *Est valde efficax in lacteis indurationibus mammarum. Emollit, discutit, lenit inflammationem et dolorem. Illiniatur empla-*

strum crassitie cultri alutæ, quod semper tertio die recens imponatur.

EMPLASTRUM STIPTICUM.

R. Ceræ citrinæ
Colophonii
Picis liquidæ ãã ℔j.
Sebi hircini ℥iß.
Liquata colentur, fiat emplastrum.

Usus. *Est emplastrum valde tenax et cuti adhærens, unde ad unienda vulnera scissa adhibetur.*

EMPLASTRUM STOMACHICUM SEU DE LABDANO.

R. Thuris ℥j.
Liquato admisceantur
Labdani calore emolliti ℥iij.
Pulveris cinnamomi
Olei macis expressi aa. ℥ß.
— menthæ stillatitii ℥j.

In mortario tepido in emplastrum redacta, in vase bene clauso serventur.

Usus. *In tetano maxillæ, a vulnere vel alia causa externa orto, ad collum, nucham et scrobiculum cordis applicatur.*

EMPLASTRUM AD TEMPORA
SEU
ODONTALGICUM.

R. Tacamahacæ.
Carannæ.
Styracis calamitæ.
Maſtichis āā ℥j.
Opii ℈iv.
Contritis & leni igne liquatis admisceantur.
Terebinthinæ venetæ.
Balsami peruviani aa. ℥ß.
Olei succini ℥j.
M. F. Emplaſtrum.

Usus. *Nuchæ, vel temporibus, vel pone aures adhibitum in morbis rheumaticis, in odontalgia rheumatica, et morbis ocularibus conducit.*

EMPLASTRUM OPIATUM.

R. Emplaſtri de hyosciamo ℥iij.
Opii ℈ij.
M. F. Emplaſtrum.

Usus. *Est ejusdem usus, ut emplastrum de labdano.*

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

R. Ceræ citrinæ ℥viij.

Terebinthinæ ℥iß.
Olei rosarum ℥iiß.
Pulveris cantharidum ℥xj.
Mastiches ℥ß.

Colliquentur & commisceantur.

Usus. *Morbos rheumaticos et tumores albos articulorum curat. Etiam ad separandos clavos pedum, verrucas manuum, et callos fistularum commendatur. Vulnera, a cane rabido inflicta, pulvere cantharidum inspersa; emplastro vesicatorio in longa suppuratione servari, ac sic tuto curari possunt.*

EMPLASTRUM AD FONTICULOS.

R. Ceræ flavæ ℥vj.
Sebi cervini ℥ij.
Terebinthinæ.
Olei liliorum alborum aa. ℥iß.
Minii ℥iv.

Colliquatis super igne, intingantur sub continua commotione lintea, quæ frigefacta pistillo vitreo poliantur, & in frusta quadrata scissa servantur usui.

Usus. *Ad fonticulos tegendos adhibetur.*

EMPLASTRUM NIGRUM BECHHOLZII.

R. Cinerum clavellatorum ℔j.
Salis ammoniaci puri ℥iij.

Spiritus Terebinthinæ ℔ij.
Mixta digerantur p. IV. Septimanas
Liquori digesto adde
Florum Sulphuris ℥ij.
Digere de novo per mensem.
Dein admisce
Gummi ammoniaci } in aceto squil-
— galbani } litico depu-
— bdellii } rati.
— sagap. aa. ℥iiß.}
Colophonii ℔j.
Myrrh. optimæ puræ.
Mumiæ.
Terebinthinæ aa. ℥ij.
Coq. ad consistent. Empl.
Sub finem adde
Camphoræ in Spiritu vini rectificato solutæ ℥iß.

Usus. *Ad carcinomata spuria mammarum curanda a Celeber.* Schmucker *laudatur.*

CERÆ ET CERATA.

Ceratum est emplastrum molle fere inter emplastrum & unguentum spissitatis.